



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Sectio II. Quid faciendum circa bonas Consuetudines.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

statuatur, non dissentiente Legislatore: Cùm præterea Constitutionis certa sit vulgo origo; Consuetudinis sèpius incerta: Constitutio uno momento fiat; Consuetudo longo Temporis spatio egeat, ut stabilitur.

Nota obiter circa hanc Divisionem 1. eam esse merè accidentalem, utique peritam tantum ex modo, quo Consuetudo ad Posteros transmittitur, qui est accidens.

2. Constitutionem, quæ jamdiu servatur, dici posse Consuetudinem eo sensu, quod in Communi sit Usu; sed Consuetudinis nomine propriè intelligi Jus Moribus introductum, eodemque modo perseverans.

### §. II.

#### *De Priore Secunda Consuetudinum Divisionis Parte.*

##### R E G U L A .

Quæ docet Canon circa Bonam Consuetudinem, ad ista reducuntur. 1. Quid sit? 2. Quid faciendum circa Bonas Consuetudines? 3. Quæ Seculares vel Ecclesiasticae Consuetudines inter Bonas ponendæ sint.

### S E C T I O . I.

#### *Quid ex Canone sit Bona Consuetudo.*

##### R E G U L A .

Nil aliud docet circa hanc Sectionem Canon, quam ista.

I. Consuetudo Bona est illa, quæ Ratione constat, Religioni convenit, Disciplinæ congruit, Salutique proficit. C. 5. DIST. I.

II. Bona Consuetudo est illa, quæ Juri Naturali & Divino conformis est, quæ cum Fide ac cum Veritate manifestat concordat. C. 8. DIST. XII.

Nota obiter, Definitiones vel Descriptiones malæ Consuetudinis, de quibus postea, posse in contrario sensu applicari bona Consuetudini, sicut Definitiones istius possunt in eodem sensu malæ Consuetudini pariter accommodari.

III. Est illa, quæ est rationabilis, & legitimè præcripta; id est per Tempus ad legitimam præscriptiōnem necessarium inducta: Tempus autem, illud est 10. annorum secundum Leges, & 40. secundum Canonem. C. 11. De Caus. C. 3. De Cau. Poss. PANORMITANUS C. 11. De Consuet.

### S E C T I O . II.

#### *Quid faciendum circa Bonas Consuetudines.*

##### R E G U L A .

Non alia circa hanc Sectionem in Canone habentur, quam ista.

I. Ut bona Leges diligenter, studiosè & illibatè, servanda sunt. C. 5. 6. 7. 8. DIST. XI. Et tota fere, DIST. XII.

II. Cùm diversæ sunt, quæ magis Rationabiles, præferendæ sunt. C. 6. de Cons.

III. Juxta illas judicandum. C. 3. De eo, qui mittitur &c.

IV. In Parochiis vel Episcopatibus noviter ereditis servanda sunt Consuetudines Vicinarum Ecclesiarum quoad jura Parochis vel Episcopis solvenda. C. 22. de Censib.

V. Generalis Ecclesia Consuetudo in celebrandis Divinis Mysteriis servanda est. C. 13. de Celeb. Miss.

VI. In Celebrandis Festis & observandis Jejuniis,

Locorum Consuetudines sunt sequendæ. C. 2. de Observ. Jejun.

VII. Ecclesia Suffraganea servare debet quod Beati Petri Sedem vel suam Metropolim servare viderit & docere. C. 5. De Sponsa duorum

### S E C T I O . III.

#### *Quæbonæ Consuetudinis exempla in Canone legantur.*

##### R E G U L A .

Non alia hujusmodi exempla in Canone leguntur, quam ista.

I. Quod Fideles Crucis signaculo se insigniant. C. 5. DIST. XI.

II. Quod Panis & Calix eo, quo fit, modo concrentur. *ibid.*

III. Versus Orientem adoretur. *ibid.*

IV. Quod Baptismatis Fons oleo benedicatur. *ibid.*

V. Baptisandi ungantur. *ibid.*

VI. Quod verbis Satanae & Angelis ejus abrenuntient. *ibid.*

VII. Quod inferior Judicis Officialis aliquid non immoderatum à Partibus accipiat. C. 15. CAUS. XIV. QUEST. V.

VIII. Quod die Dominicâ & diebus Pentecostes stantes oremus. C. 10. De Conf. DIST. III.

IX. Quod die Dominicâ non jejunetur. C. 14. 15. Ead. DIST.

X. Si Ecclesiæ, Res vel Privilegia acquirat Consuetudo. C. 8. CAUS. XVI. QUEST. III.

XI. Quod multò plus vini, quam aquæ, in Calice ponatur. C. 1. De Celeb. Miss.

XII. Quod, dum evenit Nativitas Domini die Veneris, eo die Carnes comedantur. C. 3. de Observ. Jejun.

XIII. Quod Domini Passio, Resurreccio, in Cœlum Ascensio, Adventus Spiritus Sancti anniverariâ Solemnitate ubique celebrentur. C. 11. DIST. XII.

XIV. Quod Abbas ex alterius Monasterii gremio assumatur, id postulante Monasterii, cuius fit Abbas, necessitate vel utilitate. C. 8. de Consuet.

### §. III.

#### *De aliore Secunda Divisionis Membro, sive, Quæ notanda in Canone circa Consuetudinem malam.*

##### R E G U L A .

Non alia notanda, quam ista. 1. Quid sit mala Consuetudo. 2. Quæ exempla malæ Consuetudinis. 3. Quid faciendum circa malam Consuetudinem.

### S E C T I O . I.

#### *Quid sit mala Consuetudo.*

##### R E G U L A .

Consuetudo, cui unum ex sequentibus competit, juxta Canonem mala est.

I. Si Rationi adversetur. C. 6. DIST. IV. C. 1. DIST. XI. C. 3. de Consuet.

II. Si Veritati manifestata fit contraria. C. 4. 5. 6. 7. 8. &c. DIST. IX. C. 8. de Sent. & Re jud.

III. Si Jus Naturale vel Divinum iudat. C. 2. DIST. VIII. C. 13. CAUS. XXXII. QUEST. VII.

IV. Si Fidei officiat. C. 6. 7. 8. 9. DIST. XI.

V. Si vitio faveat. C. 1. DIST. XLIV.

VI. Si Sacris Canonibus fit inimica. C. 3. 7. de Consuet.

VII. Si Legibus Humanis opponatur. C. 1. 4. DIST. XI. C. 5. de Juram Calumn.

VIII. Si Multorum Saluti nocere possit. C. 89. de Panit. DIST. I.

IX. Si